UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem, ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

13. Vires ad superandas malas consuetudines & impetus passionum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13650

Visual Library

Vt ſponte attractam venia ſolvente reatum,
Sponte ſua in vires proprias natura rediret.

Carm. de in grat. c. 1.

ET hoc vocabant *Ad iuſtitiam regredi naturalem*, quæ peccati ſcilicet labe temerata fuerat. Hic *ſi reſipiſcat*, inquit autor qq. veteris ac noui teſtamenti, *ad naturalem regreſſus iuſtitiam recipiens fidem Chriſti erit Filius Dei.* Vbi per *iuſtitiam* illam *naturalem* nihil intelligit aliud, niſi naturalem illam innocentiam naturæque integritatem, in qua ipſe ſicut & primus Adam ſine peccato natus fuerat. Exponit hunc ſenſum alibi luculentius, ubi dicit: *Solet aſſeverari à plurimis, quia per fidem inſtauratus eſt homo, ita ut ad priſtinum redditus ſtatum hoc omne acciperet quod inter initia Adam fuerat conſecutus.* Quam ſententiam plurimorum & ipſe ſequitur hoc addito corollario, quod fides integritati primi hominis aliquid adjiciat prærogativæ: *Videamus*, inquit inferius, *ſi hæc inſtauratio nihil ultra doni habeat divini, quam fuerat con-*

Aut. qq. vet. Teſt. p. 2. q. 41.
p. 1. q. 123.
Ibid.

A *ſecutus Adam.* Quæ quidem non eo ſenſu intelligenda ſunt quaſi ſolo peccati reatu aliquid vigoris aut virium ad operandam juſtitiam natura perdidiſſet, quas ejuſdem remiſſione recuperaret: ſed illo dumtaxat quod ſola peccati deletione, præſertim ſi nulla adhuc peccandi conſuetudo hæſiſſet, natura quæ vires omnes etjam ſub peccato retinuerat cum priſtina ſua emergeret integritate & puritate. Pelagianorum enim doctrina conſtans fuit quam & ſupra ſuis locis fusè proſecuti ſumus, *peccatum non potuiſſe humanam debilitare vel mutare naturam:* Atque adeò ad operandam juſtitiam *liberum arbitrium & poſt peccata tam plenum eſſe quam fuit ante peccata.* Vt non ſit exiſtimandum remiſſionem aliquid priſtini vigoris contuliſſe naturæ, ſed tantum vindictæ reatum ac ſolicitudinem abſtuliſſe.

Pelag. lib. de nat. & gratia c. 14.
Iul. lib. 1. oper. imperf. Iul. 131.

Vires ad ſuperandas malas conſuetudines & impetus paſſionum.

CAPVT XIII.

QVOD ſi quam peccandi conſuetudinem longo uſu natura contraxiſſet & illam putant quibuſcumque radicibus quæcumque vetuſtate roboratam præeunte inſtructione legis qua ſciatur quid faciendum ſit, ſola voluntatis mutatione poſſe ſubmoveri juxta ſententiam, cujuſdam eorum definitivam; *perfacile poteſt voluntas voluntate mutari.* Hinc Pelagius in Commentarium Epiſtolarum Divi Pauli: *Cum viderint eas* (uxores) *in melius commutatas, cognoſcant omnes per Dei legem ita conſuetudine inveterata potuiſſe mutari.* Sed multò arrogantius in Epiſtola ad Demetriadem: *Nam ſi etiam illi qui longo peccandi uſu bonum quodammodo obruêre naturæ inſtaurari per pænitentiam poſſunt* (obtinendo videlicet peccati veniam) *& mutata voluntate vivendi conſuetudinem conſuetudine extinguere, quanto magis tu potes illa ſuperare* &c. Ex quo fit

Lib. de perf. iuſt. c. 6.
In c. 7. 1. ad Corinth. n. 17.
Circa mediũ

A ut conſequenter omnes omninò paſſiones ac motus propter quos maximè violentia malæ conſuetudinis moleſta eſſe ſolet, ſolo liberi arbitrij nutu coërceri poſſe decernerent. *Cum* (fortitudinis) *lacerti*, ait Iulianus, *in contemptu dolorum & per Gentiles & per Chriſtianos aſſiduè claruerunt.* Qua de cauſa motibus carnalis concupiſcentiæ quæ omnium cupiditatum rapidiſſima eſt *viribus voluntatis* tradit *obſiſti.* Et *voluptatis illius exceſſum intra conceſſos fines animi poteſtate poſſe retineri.* Ex hac ſuperba præſumptione fluxit procax illa & mordax inſultatio qua propter inculcatam gratiæ neceſſitatem contra cupiditatis illius impetus, *Auguſtinum mentiri* dicit, *tantas eſſe libidinis vires ut eam ratio regere ac frænare non poſſit.* Ipſius enim & omnium Pelagianorum brevis, fixa & generalis de toto hoc genere eſt ſententia; *Sufficit homo ingenitis ſibi motibus dare leges.*

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 121.
Ibid. f. 104
Lib. 5. cont. Iul. c. 16.
Lib. 3. cont. Iul. c. ult.
Lib. 5. cont. Iul. c. ult.

Quod homo poſſit per naturam liberi arbitrij eſſe perfectus & non peccare ſi velit.

CAPVT XIV.

QVIBVS fundamentis nixi, ulterius docent, hominem in hac mortali vita ad perfectam juſtitiam poſſe pervenire ſi velit. Quæ Pelagianorum ſententia diverſis modis ſed in eandem impietatem conſpirantibus exprimi ſolet.

A Nam aliquando ut hoc ſignificent clamant ut Auguſtinus ait; *Perfectio nobis virtutis à nobis eſt*, aliquando dicunt: *Non ſolùm ad facienda verum etiam ad perficienda mandata divina per liberum arbitrium humanam ſufficere naturam.* Aliquando ſimpliciter, *hominem hic perfici.* Aliquando

Lib. 2. cont. Iul. c. 8.
Aug. Epiſt. 95.
Lib. 2. cont. Iul. c. 8.